



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Epistola de Trisagio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

D. IOANN. DAMASCENI

quæ cum ævo omni antiquior sit, corporeq; vacua & simplex, extremis temporibus à sancta & perpetua Virgine citra ullam commutationem corpore induta fit. Nam & hoc & illud est, hoc est corpore vacans, ratione sempiternæ diuinitatis: & corporea, carnis respectu, quæ initium habuit, atque assumpta est. Hæc autem est ævo omni prior Filius ac Dei Verbum, qui idem ipse & corpore vacat ut Deus, & corpore præditus est, ut qui ad extremum homo effectus sit. Copulatur itaque naturæ in vna persona, atque inter se comitantur: * quoniam anima quædam, ut quæ perfectioni obnoxia sit, licet vnà cum corpore ipsa minimè incidatur, tamen simul cum eo dolet: at diuinitas simul cum corpore minimè perpetiebatur. Eaque de causa diuinitatem minimè passam esse dicimus, nec rursus Deum per carnem passum esse.

* Hæc, quia in Græc. vertuntur, vertimus: superflua tamen videntur.

D. IOAN. DAMASCENI

EPISTOLA DE TRISAGIO,

hoc est, ter sancto Hymno.

REVERENDO IN DEO AC DIVINO

zelo flagranti, Domino Iordani Cænobiarchæ, Ioannes Damascenus in Domino salutem optat.



1. Cor. 13.
2. Tim. 2.

Charitas erga proximum, charitatis erga Deum nota est.

Diaboli astus.

VERVMVS meus erga te amor, Patrum præstantissime, non ex fluxa & instabili causa ortum traxit: verum ex diuina charitate, quæ ita naturam comparata est, ut nunquam excidat. Nobis enim exploratum est, quam rectè de fide sentias, quam rectè veritatis sermonem tractes, quam ardens in te zelus sit, quam sincera erga Deum charitas, ex qua & per quam tanquam catena quadam cum proximo deuinctus es. Etenim illa velut primus fons est: hæc verò secundus, ac primus signum. Quippè charitas erga proximum, amorem erga Deum certissimis notis exprimit ac declarat. Nec verò nos fugit, quæ diuinorum sermonum cupiditate teneris, quodque voluptatem eam, quam ex his percipis, ipso quoque melle dulciorem esse ducas. Diuinam enim pulchritudinem vtcunque conspicas es, atque ad eam animi pennis in altum te extulisti, Deique ac diuinorum simulacrorum purissimum speculum effectus es, ut qui pulchritudinis loco virtutem habeas, ac per accuratissima ipsius pigmenta veram diuinæ pulchritudinis, quæ omnis boni exemplar est, effigiem in te exprimas. Quapropter cum te expetimus, virtutem expetimus, atque adeo Deum, à quo tu virtutis dotes accepisti. Verum, ô rem miseram, Pater, rem inquam, miseram, quoniam pacto Ecclesiæ hostis id semper omni studio contendit, ut eam pesturbet: quodque grauius est, per eos, qui pietatis alumnos sese profitentur. Etenim semina pietate præditus frater noster Abbas Sergius, ciuis & familiaris & amicus meus, per litteras, quas probus ac sincerus frater Abbas Iob attulit, certior me fecit, Abbatem Anastasium, præclarum inquam illum monasterij beati Euthymij antistitem, nonnulla è sanctorum Patrum libris loca protulisse, quæ scilicet ter sanctum hymnum ad Filium, duntaxat referant. Quod si concessum fuerit, nihil erit quod prohibeat, quin lues ea, quam Cnaphæus malè ac pestiferè inuexit, omnes funditus inficiat & labefactet. Demiror autem, demiror inquam, si hæc ita sunt: ac rursus demiror, si ita non sunt. Nam & rectam venerabilis illius viri, hoc est Anastasij, de fidei doctrina sententiam perspectam

A Etiam habemus, & ipsius tum in sermone, tum in ea virtute, quæ in actione sita est, elegantiam haud ignoramus: ac rursus, quantum accusator à mendacij crimine alienus sit, plane nouimus. Cùm enim Dei cupiditate flagret, ipsi quæ uiuat, equidem eum adduci potuisse non existimo, ut in virum infontem, atque eximius virtutibus florentem, falsum crimen cõiiceret, ipsi quæ, per calumniam obtraheret. Quod quidem animum nostrum non mediocriter excruciauit. Quamplurimum autem idem Sergius per Abbatem pietatis præstantissimum ac germanum suum fratrem, eum condemnauit, uisitque, ut sine vlla mora, quid de hac re sentirem, ipsi significarem. Illud etiam ascripsit, Anastasium hoc affirmare, nos quoque huic sententiæ caput submisisse, eamque comprobasse, ac de hac re calculum nostrum ipsius calculo adiunxisse. Quod etiam maiori me admiratione affecit. Protulit enim nobis loca (non mentiar:) eaque sanctorum & probatorum Patrum esse pronunciauimus. At quòd ex iis tersanctum hymnum ad Filiû solum referri constet, minimè consensimus. Quin eum quoque beatissimû sanctæ Christi Dei nostri ciuitatis Patriarcham, diuinissimum inquam illum Ioannem ac Dei hominem, eiusdem secum, quod quidem ad hoc attinet, sententiæ esse asserere perscripsit. Quamobrem faciendum nobis existimauimus, ut reuerenda tua in Deo sanctitas hæc intelligeret, nec, quid sentiamus, nostrorum quisquam ignoraret. Id enim nobis uisatum est ac familiare. Hoc igitur dicimus, terminos & attributiones, quæ congruenti sermone fiunt, certissimas ac firmissimas esse. Ait enim Scriptura, Adduxit Dominus omnia animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea: & omne quodcunque vocauit ipse animarum uiuentium, hoc est nomen eius. Videmus itaque uocabula, quæ speciem à specie distinguant, ac rursus uocabula in super posita, quæ hypostasim ab hypostasi seiungant, & denique regulas & leges constitutas, atque etiamnum vigentes. Ad hunc porrò modum aio, definitè à Deo per Seraphinos, ac per tersanctum hymnû vnâ in tribus hypostasibus diuinitatem ac dominationem, tanquam per Arithmeticam quandã declarationem, Esaia patefactam fuisse. Quid enim est, quamobrem non bis, aut quater, aut sexcenties, hanc uocem, *Sanctus*, cecinerunt? Quid item est, cur Seraphini bis, aut ter, aut quater, aut sexcetiis, hæc uerba, *Dominus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria eius*, pronunciarunt, uerum hanc uocem *Sanctus*, ter dixerunt, uocabulum autem *Dominus*, semel duntaxat? An non ut illud ostenderent, tres quidem sanctas hypostasim, vnâ autem trium dominationem, & vnum imperium, & gloriam, essentiam, & deitatem, & vnum tres illas esse sanctum Deum, sanctum nimirum Patrem, sanctum Filium, sanctum Spiritum sanctum: uerum vnum sanctum, non tres sanctos, & vnum Dominum, non tres dominos? Etenim tres hypostasim Deus & Deus & Deus, sunt, uerum vnus Deus, & non tres dii: eodemque modo sanctus sanctus sanctus, sed non tres sancti: dominus dominus dominus, sed vnus Dominus, non tres domini. Ob idque etiam subiuxit, *pleni sunt cæli & terra gloria eius*, & non eorum. Ac deitas quidem, hoc est essentia, trinè explicatur, ut quæ in tribus hypostasibus sine vlla diuisione intelligatur: ac rursus tres hypostasim in vnâ essentiam vniuntur & copulantur. Eodemque modo deitas trinè sanctificatur, gloriaque afficitur, sanctus sanctus sanctus: ac rursus tres hypostasim vnâ tantum gloria afficitur, *Dominus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria eius*. Vnus enim Deus in tribus personis: & tres vnum, hoc est vna natura, non vnâ persona. Non autem quæque persona triplici gloria & sanctitate afficitur. Deitas etenim, cùm tres personas complectatur, propriè consentaneèque triplici sanctitate afficitur, sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus, Dominus Sabaoth. Vnus enim hæc tria Deus ac Dominus sunt. Quælibet autem persona, cùm vna persona sit, non tres, cur tandem tersancta prædicabitur, ac non semel, aut bis, aut quater, aut millies? Non enim quælibet deitatis persona trinitas est. Nam ad hunc modum vnitas esset deitas, ac non trinitas. Quid enim est, quamobrem bis, aut quater, aut millies, sanctum hymnum non cecinerunt, sed

ter duntaxat, nisi vt personarum numero responderet? Quemadmodum enim Pa-
 trem personam dicimus, & Filium personam, & Spiritum sanctum personam, &
 deitatem, hoc est essentiam *τρισυπόστατον*, vt potè tres personas còtinentem, ac ne-
 que Patrem triplici persona præditum esse, nec item Filium nec Spiritum sanctum
 dicere fas est: eodem modo nec vnam personarum ter sanctam dicere licet, verum
 sanctum Patrem, sanctum Filium, sanctum Spiritum sanctum, sanctam autem
 deitatem tres personas complectentem. Quocirca si ter sanctus hymnus tres per-
 sonas non indicat, bis duntaxat canamus, *sanctus*, atque ita subnectamus, *Dominus*
Sabaoth. At id non licet, nec ita Seraphini cecinerunt. + Ne plus quàm par sit, sa-
 pientes simus: ne Seraphinis doctiores nobis esse videamur. Quòd si diuinitus in-
 flincti Patres, de quibus duntaxat sermo est, aiunt Seraphinos, Filium canentes, G
 dicere, *sanctus sanctus sanctus*, siquidem hoc dixissent, & Filium solum canentes,
 suspicari sanè possemus de solo quoque Filio ter sanctum hymnum dictum esse.
 Cùm autem Filius, nec à Patre, nec à Spiritu separari queat, profectò ne hymnus
 quidem separari potest. Vnà enim cum Patre ac Spiritu sancto Filius laudatur ac
 celebratur. At verò tum demum de solo Filio hymnum dici asserimus, cùm ea,
 quæ ipsius personam demonstrant, commemoramus, velut, Filius Dei Verbum,
 sapientia Dei & virtus, qui ex Patre genitus est, qui carnem induit, qui carne in
 crucem actus est, qui ad vitam rediit, qui in coelos ascendit, qui sedet ad dextram
 Patris, aliàque generis eiusdem. Vt igitur hæc vnam personam indicant, nec vllò
 pacto in altera persona, aut cùm communiter de diuinitate sermo est, locum hab-
 ent: ad eundem modum ter sanctus hymnus, cùm tres personas indicet, in vna
 persona locum habere non potest. Quemadmodum enim singulas humanæ na-
 turæ personas nomen dicimus, vrbem autem quæ multos homines còtineat,
πολυάνθρωπον, hoc est hominum numero abundantem appellamus, non autem
 quemuis hominem *πολυάνθρωπον*: eodem modo etiam in ter sancto hymno quã-
 libet personam sanctam dicimus, ter sanctam item deitatem, quæ tres personas cò-
 plectitur: vnam autem personarum ter sanctam dicere minimè possumus. Ac rur-
 sum, quemadmodum lucem & lucem & lucem dicimus, iis que inter se copula-
 tis trilucidum splendorem dicimus, non autem trilucidam vnamquamque lucem:
 eodem modo etiã in ter sancto hymno omnia quæ coniunctè & simpliciter atq;
 absolutè de tota diuinitate dicuntur, de vnaquaque etiã persona dicuntur: at ter-
 narius numerus in sancta Trinitate tres personas declarat. Præclarè enim ac valdè
 propriè à diuino Epiphanio dictum est, Quid causæ est, quamobrem Seraphini,
 nec bis, nec quater, Sanctus dicant? An non vt trium personarum numerum signifi-
 cent, in vnam diuinitatem ac dominationem còeuntium? Sanctus Deus pater, ex
 quo Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus. Sanctus fortis Filius, illa inquam verè
 subsistens Dei virtus. Sanctus immortalis Spiritus sanctus, qui viuificat, vt Apo-
 stoli verbo vtar. Nec verò hæc ita accipi debent, tanquam Pater quoque, aut Spi-
 ritus sanctus fortes non sint, nec rursus tanquam Pater etiam aut Filius immor-
 tales non sint: verum quemadmodum Apostolus personas demonstrare cupiens,
 ait, Nobis autè vnus Deus & Pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Chri-
 stus, per quem omnia: & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia: eodem modo hinc
 quoque. Hoc autem Dauid etiã his verbis prædixit, Quemadmodum desiderat
 ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Ecce, posteaquam
 còmuni diuinitatis vocabulo vsus est, vt personas significaret, subiunxit, Sitiuit a-
 nima mea ad Deum, fortem, viuum: (nam qui vita semper fruitur, immortalis est.)
 Cùm igitur dixit, Desiderat anima mea ad te Deus, vnam diuinitatem indicauit:
 cùm autem mox subiicit, Sitiuit anima mea ad Deum, fortem, viuum, persona-
 rum trinitatem demonstrauit. Ac rursus ad naturæ vnitatem rediit, *Quando ve-
 niam, & apparebo ante faciem Dei?* Quòd si quis hoc obiiciat, sapè etiam de vna
 persona dici ter felicem, & ter charum, & ter beatum, illud intelligat, *τρεῖς*, cùm
 per diphthongum scribitur, ternarium numerum significare: cùm autè per sim-
 plex

Epiph. in
Anchor.

2. Cor. 3.

1. Cor. 8.

Psal. 48.

A plex iota, idem valere, quod sæpè: vt dicimus *τῆς* homines, & *τῆς* sunt, qui testimonium dant, aqua & sanguis & spiritus: & *τῆς* per simplex iota aduerbiallyter, pro, sæpenumerò, quomodo de hac re ait Apostolus, *τῆς* Dominũ rogati, hoc est sæpè. Illud autem sciendum est, quod etiã in ternario numero, cum aduerbiallyter effertur, per iota scribitur, vt semel, *δὲ τῆς, τῆς*. Atque etiam in compositione, siue ternarium, siue ingentem numerum significet, per iota scribitur, vt *τρίωνυμος*, id est tria nomina habes, & *τρίπλοκος*, id est maiorem in modũ charus, & *τρίσχιζος*, i. sapius beatus, & *τρίσολιος*, id est plurimũ foelix. Atque hæc quidem in vna persona perquam chara ac beata & fortunata locum habent. At verò numerũ, qui ternarium significet, nisi in ipso numero propriè dicere non possumus. Verbi gratia, *διώνυμος* dici nequit, qui duo nomina nõ habet, nec *τριχόρος*, qui tribus coloribus præditus non est. Cũ igitur trinominem aliqũe dicimus, hoc significamus, eum, qui trinominis appellatur, tria duntaxat nomina habere. At cũ ter sanctum dicimus, in sancta quidem Trinitate locum habet. Nam cũ tres duntaxat personas habeat, quarum vnaquæque sancta sit, ac laude & gloria celebretur, non abs re ter sancta dici queat. Si autem de vna tantũmodo persona dicatur, suspicio fortasse alicui oborietur, eam, aut tres sanctas essentias, aut tres sanctas personas obtinere: quorum vtrumque de vna diuinitatis persona dicere nefarium & impium est. Atque illud etiam dixerimus, absurdum esse ter sanctum hymnũ, cũ tres diuinitatis personas declaret, ad vnam duntaxat diuinitatis personam referre. Nam si communẽ essentiam indicaret, de vnaquaq; persona diceretur. Cũ autem trium personarum numerũ designet, de vna hoc vocabulum vsũrpare in commodum fuerit; ne alioqui nouies sanctam Trinitatẽ esse pronunciemus. Siquidem ternarius numerus in se ductus nouenariũ numerũ gignit. Diximus eum, qui duo nomina habeat, binominem dici, & item trinominem, qui tria nomina habeat, ac non plura, nec pauciora. *Quid igitur? Ter sanctus duntaxat Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, vt vnusquisque eorum ter sanctus dicatur? Absit, imò infinities infinitẽ sanctus. At sancta diuinitas, vt tres duntaxat sanctas personas habens, optimo iure ter sancta nuncupari queat. Quocirca cũ ter sanctus hymnus tres diuinitatis personas indicet, de vna persona dici non debet. Neque enim certum ac definitum in infinita diuinitate numerũ dicere possumus, nisi substantiæ vnitatem, ac personarum trinitatem. Enimverò si quis ex nobis sciscitetur, quid sit causã, quamobrem, cũ alicui baptismum adhibemus, ter eum mergimus, quidnam aliud respondebimus, quã quòd ob vnamquãque diuinitatis personam, de immersionem vnam facimus, tres autem, quia tres personæ sunt: non autem ter ob vnamquamque personam eum immergimus? nam alioqui nouies mergendus esset, id quod fieri non potest. Eãque etiam ratione ad vnamquãque immersionem nomen vnus è tribus personis pronunciamus. Eodẽ proinde modo si quis nos roget, cur hæc vox *sanctus* ter dicatur, ac non bis aut quater, ob diuinitatem tres personas complectentem, si verè loqui volumus, id fieri dicemus. Quonam itaque pacto ter sanctum hymnũ de vna persona dicere queamus? Sic enim mendacij crimine nos ipsos obstringimus, sermonesque nostros perfidè transgredimur. Quelibet enim diuinitatis persona, vt à diuo Basilio proditum est, singulariter enunciatur. Vnus pater est Pater, & vnus sanctus, quandoquidem vna persona: vnus filius est Filius, & vnus sanctus, quoniã vna persona: vnus spiritus sanctus Spiritus sanctus, & vnus sanctus, quia vna persona. Vna ter sancta natura diuinitas est, quia tres personæ. Non ter sanctus Pater, quia vna persona: non ter sanctus Filius, quia vna persona: nõ ter sanctus Spiritus sanctus, quia vna persona. Ac Spiritum quidem sanctũ, ac prorsus sanctum, vniuersus diuinorum, ac diuinitus inspiratorum Patrum chorus semper quã altissima voce prædicauit. Ter sanctum autẽ ipsum nondum in vllo sanctorum Patrũ libro inuenimus. Cnaphei hoc deliramentũ est, qui ex ingenti arrogancia, nudòq; vt dici solet, capite (quod quidem impudicã mulierum impudentiam demonstrat) tan-*

*Cur ter mer-
gantur quis
baptizan-
tur.*

quam scilicet Seraphinos sapiētia atq; doctrīna antecelleret, tersanctū hymnum, F
 non secus ac telam quandā ad elegantiā minimē elaboratā, 7 tingere minimē
 dubitauit. Etenim si tersanctum hymnū de Filio solo dīcimus, sublatā est omnis
 ambiguitas, ac nos iam sine vlla dubitatione in eum furorē prorūamus, vt ter-
 sancto hymno 8 crucifixionem adiungamus. Verūm abfit vt vel labris hoc vsur-
 pemus. Ei quippē, & qui Deū propitiū nactus sit, optanda potiūs mors est. Hanc
 4. Reg. 4. mortē à me remoue: mors enī in hac olla est. Quōd si quis dicat, se multo sci-
 sciātes audiisse, quid sit causā, quam obrē cūm dicimus, *Gloria Patri & Filio &
 Spiritui sancto*, persapē hęc subiungimus, *crucifixo voluntariē, atque à morte ad vitā
 excitato*, aut aliquid aliud eiusmodi: cūm autem tersanctum hymnū dicimus, non
 item hęc verba subnectimus, *qui nostra causa in crucem actus est*: is hoc responsum G
 à nobis habeat, nempe ritus ac traditiones Ecclesię vigorem obtinere debere. Ne
 transgrediaris enim, inquit ille, terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. At-
 que, vt à magno Basilio pronunciatum est, quicquid antiquitate excellit, venera-
 tionē meretur. Igitur hic ritus Ecclesię antiquitūs traditus est, vt textus loco di-
 catur, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*. Quemadmodū itaq; cūm textū ali-
 quem, puta psalmi cuiuspiā aut hymni, dicimus, versiculum aut modulū aliqūē,
 qui ex præcedentis textus sententiā minimē pendeat, persapē subiungimus: eodē
 modo cūm textus loco hęc verba, *gloria Patri & Filio & Spiritui sancto* dixim⁹,
 versiculū quendā subnectimus, qui Filio soli conueniat, nec cum horū verborū,
gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, sententiā & cōstructione cohæreat. Etenim H
 hęc verba, *gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, datiuo casu dicta sunt: modulus
 autem persapē genitiui, aut accusatiui, aut nominatiui, aut vocatiui casus est. Ex
 quo perspicuū est, modulū minimē ex horum verborū, *Gloria Patri & Filio
 & Spiritui sancto*, sententiā pendere. Cūm autem textus loco dicimus, haudqua-
 quam secernat, subiungimus. Sanctus Deus Pater: sanctus fortis Filius, qui carnem
 induit, atque à mortuis resurrexit: sanctus immortalis Spiritus sanctus. Tres per-
 sonas dicens, casque tres vnum Deum esse demonstrare cupiens, coniunctim di-
 co, *miserere nobis*. Quemadmodū ait Deus, legem Moysi sanciens, Dominus Deus
 tuus, Dominus vnus est. Et Seraphini, Sāctus sanctus sanctus, Dominus sabaoth.
 Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: verūm Deus vnus, inquit diui- I
 ni Patres. Sāctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus: verūm hi tres vnus
 sanctus sunt. Et Dominus Dominus Dominus: verū vnus Dominus. At Deus &
 Deus & Deus Pater, aut Deus & Deus & Deus Filius, aut Deus & Deus & Deus
 Spiritus sanctus, aut sanctus sanctus sanctus, aut Domin⁹ Dominus Dominus, de
 vna duntaxat persona nemo probatorū Patrum nostrorū ad hunc vsq; diē pron-
 unciauit. Quemadmodū enim Trinitatem personā vnā dicere nō possumus:
 ita nec vllam personam Trinitatē dicere fas est. Ad hunc modū etiam 9 tempore
 beatissimi Procli ex diuina reuelatione tersanctum hymnum cecinerūt, Sanctus
 Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis: nēpē cūm puerū quendā K
 è media supplicantū turba sublimē raptū fuisse aiunt, atq; virtute quadā angeli-
 ca in aërem euectū hunc hymnum didicisse, quantūmq; in hoc hymno diuinitatis
 inesset, calamitatis illius, quæ tunc grassabatur, leuationē testimonio fuisse. Sic
 autem & diuino spiritu inflinctus sexcentorū triginta hominū sanctissimus cho-
 rus cecinit. Quenam igitur hęc noua doctrina est, quæ nunc Dei populū exagi-
 tat, ac temerē perturbat? Verūm dicet rursus quispiā, Quī sit, vt cūm personā &
 personam & personam dicimus, tres personas dicimus, cūm autem & Deum &
 Deum & Deū dicimus, non item tres Deos dicimus? Cui quidē argumēto sic re-
 spondemus: Quæ particularia sunt, minimē cōmunicantur: quæ autē communia,
 etiāsi vnicuiq; particulariū impertiantur, at cōiunctim tamen & cōmuniter. Atq;
 vnaquæq; persona priuatim cōsideratur: non autem ipsis cōmunis est vna perso-
 na. Diuinitatis autem & sanctitatis & dominationis, et si vnaquæque personarum
 est

Ecclesia
 traditiones
 studiose ob-
 seruanda.
 Prou. 22.
 Orat. 1. de
 Ieiun.

Exod. 20.
 Esa. 6.

A est particeps: at communis tamen trium personarum est, ut quæ una sit. Neque enim alia est Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti diuinitas, neque alia sanctitas aut dominatio, verum una & eadem prorsus, & sine diuisione, in vnaquaque persona existens, tota Patris, tota Filij, tota Spiritus sancti, vna Patris, vna Filij, & vna Spiritus sancti. Personarum autem non eadem est ratio: verum alia Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Atque vnaquaque persona per se Deus & sanctus & Dominus, & si quid aliud eiusdem generis est, dicitur. At cum simul numerentur, non tres Dij, aut sancti, & Domini, sed hæc tria, vnus Deus, vnus Dominus, vnus sanctus: quia Deus & ipsius virtutes, nimirum Verbum ac Spiritus, vnus Deus, vnus sanctus, vnus Dominus, ac non tres: verum Deus quidem & Deus & Deus, ob cuiusque personæ perfectionem, & sanctus & sanctus & sanctus, & Dominus & Dominus & Dominus: nõ autem tres Dij, aut sancti, aut Domini: propterea quod Verbum & Spiritus, Patris virtutes sunt, virtutes, in quâ, per se subsistentes, quæque à Patre, ex quo, & in quo sunt, & ad quem tanquam ad causam referuntur, separari nequeunt. Neque enim loco, aut voluntate, aut actione, aut viribus, aut autoritate, aut vlla alia re ex his, quæ de Deo dicuntur, eo disiunguntur: verum personarum duntaxat ac proprietatum vnâquamque personam exprimentium ratione. Nos etenim, cum gignimur, omnino à patribus scindimur ac seiungimur. Idque declarans Theologus Gregorius, his verbis vsus est, *dimittentes, dimissi*. Non enim in nobis patris virtus est filius, aut verbum, aut sapietia. In Deo autem hæc duo in vnum concurrunt, nempe quod Filius & Spiritus, Patris virtutes sunt, quemadmodum sermo & spiritus mentis virtutes sunt: & quod personæ perfectæ sunt, quod quidem soli Deo, qui essentiam omnem antecellit, conuenit. Nos verò, & voluntate, & potestate, & loco, scindimur. Quod etiam fit, ut ille & ego, non homo, sed homines dicamur. At in Deo non ita se res habet, quemadmodum à nobis iam dictum est. Sed enim ea quoque loca, quæ ipsi proferunt, excutiamus, atque accuratè perpendamus. Patrum enim sunt (nec id inficiabimur) verum danda est opera, ut sanctos Patres ac magistros, quorum coniunctam atque ab omni varietate alienam de fide sententiam vna Spiritus sancti vis & illuminatio demonstrauit, concordēs, non autem inter se contrarios, ac multo minùs sibimetipsis aduersantes ac secum pugnantes ostendamus. Præclarus itaque Athanasius, cui inter beatos sedes est, in Oratione de Incarnatione ac Trinitate his verbis vtitur: *Deus est, qui genitus est & homo extitit: ac nos profite-mur eum Deum esse, qui nostræ salutis causa homo factus est: verum non Deus & Deus & Deus, qui ex Trinitate vnus est Dei Filius. Ac Deus sanctus: verum non sanctus & sanctus & sanctus, neque ter duntaxat sanctus, verum interminatè atque infinitè sanctus, ac sanctitate omni sublimior*. Rursum alio loco ait: *Vidimus eum, & non erat aspectus neque decor. Siquidem ipsum prius in diuina atque illustri forma in solio excelso & eleuato sedentem conspexerat, cum Cherubini ipsius gloriam his verbis celebrarent, Sanctus sanctus sanctus, Dominus Sabaoth. Ac postea ipsum cernit, cum serui formam suscepisset, atque in hominum similitudinem factus fuisset*. Hæc ipsi proferunt, quæ nos etiam amplectimur. Verum (dicant ipsi) solumne Filium in throno sedentem viderit, an verò cum Patre sedentem? Solumne glorificatum, an verò cum Patre ac Spiritu? Si solum, tersanctum hymnum Filio soli attribuunt. Sin autem cum Patre ac Spiritu, agnoscant hunc hymnum, qui tres personas atque vnâ essentiam declarat, à Trinitate separari non posse. Etenim cum Seraphini sanctus sanctus sanctus canunt, atque hunc hymnum Trinitati offerunt, Filium quoque canunt, vnus enim ex Trinitate Filius est. Qui autem tersanctum hymnum ad Filium tantummodo referunt, hymni expertes Patrem & Spiritum statuunt. Quandoquidem sub communibus particularia comprehenduntur: sub particularibus autem communia, non item. Nam qui hominem dixit, singulos omnes homines significauit: qui autem Patrem dixit, ipsum solum designauit, relictis cæteris humanæ naturæ personis. Rursum ex sancti Epiphaniij de sancta Dei genitrice Oratione hoc

De incarn.
Verbi ad-
uersi. A-
poll.
Esa. 6.

proferunt: Beata tu inter mulieres, quæ Verbum ex te incarnatum peperisti, Verbum inquam Patris Filium, Verbum seculis omnibus antiquiorē Deum, Verbum principij expers & sempiternum, Verbum consubstantiale Trinitatis, quæ separari non potest, Verbum, quod cōm Patre & Spiritu sancto adoratur, Verbum, quod paterni throni socium est, Verbum, quod super Cherubim sedet, Verbum, quod animalia quatuor formis prædita his verbis gloria afficiunt, Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth: pleni sunt cæli & terra gloria eius. Si ipsius gloria à Patre gloria diuersa est, ad ipsum quoq; solum hymnum pertinere dicemus. Sin autem vna & communis sanctæ Trinitatis laus est, vnus etiam atque communis hymnus sit, necesse est. Nam cum sanctus sanctus sanctus dicunt, Filij gloriam illustrant: verum non Filij duntaxat, sed vt vnus ex sancta Trinitate, medium inter Patrem & Spiritum sanctum locum obtinentis. Deinde ex Chrysostomo in Canticum Benedictus, cuius principium est, Ex miraculis in miracula, illud afferunt: *Hodie Rex gloria in terra voce prophetica celebratur, atque cælestis epuli mortales socios reddit: vt illud ostendat, se vtrorumque dominum esse, quippe qui ab vtrisque concordia voce laudatur. Ob eam causam superi quidem salutem eam, quæ in terra contigit, declarantes, canebant, Sanctus sanctus sanctus Dominus Sabaoth: pleni sunt cæli & terra gloria eius. Qui autem inferiorem sedem obtinebant, vna cum cælitibus festum diem lætis animis celebrantes clamabant, Osanna in excelsis, Osanna filio Dauid.* Et quis tandem, qui modò mente constet, Dauidis filium à tersancti hymni prædicatione seiunctum esse dixerit? Etenim vnus è sancta Trinitate simul cum Patre ac Spiritu gloria afficitur. Verum tersanctus hymnus ad ipsum solum minimè refertur. Neque enim cum Seraphini sanctus sanctus sanctus dicebant, solum Patrem, aut solum Filium, aut solum Spiritum sanctum significabant, verum diuinitatem tres personas complectentem, tanquam tersanctam dominationem. Idem itaque sursum cum Patre ac Spiritu gloria afficiebatur, Seraphinis non solum ipsum, sed cum Patre ac Spiritu canentibus, atque clamantibus, Sanctus sanctus sanctus. Atq; idem rursus ad hunc modum in terra collaudatur, Osanna in excelsis, Osanna filio Dauid. Quo videlicet hymno apertis penè verbis vna excelsarum diuinitatis personarū (etiā si alioqui Dauidis filius dicatur) esse ostenditur. Quod si hoc etiam dicat diuinus hic noster Pater, quod superi partam in terra salutem nunciantes canebant, peroptimè sanè ac diuinissimè hoc ait. Scimus enim cælum ac terrā diuina gloria semper plena fuisse: siquidem omnia opera Dominum benedicunt, ipsiusque gloriam enarrant. Verum quoniam in cælis Angeli veri Dei gloriam agnoscebant, humana autem natura, quæ terræ domicilium nacta fuerat, eò proruperat, vt incorruptibilis Dei gloriam in corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum similitudinem immutaret, idcirco vir diuinus terrarū diuina gloria impletam fuisse ait, quod ij, qui terram incolebant, ad diuinæ gloriæ cognitionem peruenissent. Quod quidem, nec aliud quidquam iis, qui in terra erant, salutem attulit. Quin porro diuina gloria & Patris & Filij & Spiritus sancti sit, minimè dubitandum est. Sic enim Dominus etiam, qui ab omni mendacio alienus est, ad Patrem his verbis vtebatur: Pater, opus quod dedisti mihi, impleui: manifestavi nomen tuum. Ac rursus: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum & viuum, & quem misisti Iesum Christum. Ad hunc modum, vt natura, ita etiā gloria trium diuinitatis personarum cōmunis est. Sancti item Cyrilli Alexandrini¹⁰ ex sexto libro de sancta Trinitate, cuius initium est, Æqualitatis quidem, illud proferunt: *Admirandus Esaias non in maiori gloria conspectum fuisse Filium ait. Vidi enim, inquit ille, Dominum Sabaoth sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat gloria domus eius. Et Seraphim stabant in circuitu eius. sex a dextera vni, & sex a dextera alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum sanctitatem, quæ à ternario quidem incipiebat, ceterum in unitatem atque vnā dominationem desinebat.* En perspicue dixit, quod cum Dominum Sabaoth laudibus efferrent (qui quidē Deus est, in tribus personis agnoscendus)

Mat. 21.

Esa. 6.
Dan. 3.

Rom. 1.

Io. 17.

A scendus) hymnum eiusmodi proferant, qui à ternario quidem incipiebat, hoc est, tres personas canebat, ceterum in vnitatem atque vnam sanctitatem ac dominationem desinebat, hoc est, quia essentia vnitatem atque vna dominatio cum triplici sanctitate peridnam trinitatem declarabat. Ex quo perspicuum est, hæc vocabula, *Sanctus sanctus sanctus*, tres personas, non autem vnam demonstrare: hæc autem, *Dominus Sabaoth*, diuinitatem vnam ac dominationem indicare.

Rursum ex eiusdem de Adoratione in spiritu libro illud proferunt *Supremarum autem virtutum velut defixam oculorum aciem, atque inexplebilem quandam prospectus diuini cupiditatem illud ostendere videtur, quod Cherubini in propitiatoriu semper intueantur. Atque etiam Esaias Propheta in eiusmodi habitu ac figura ad hunc modum scribit: Vidi Dominum Sabaoth sedentem super solium excelsum & eleuatum. Seraphini stabant in*

B *circuito eius. Atque sex quidem vnicuique pennas extitisse ait: velare autem ipsos duabus quidem pedes, duabus autem faciem, ac denique duabus reliquis volare. Ac paucis interiectis: Propitiatorium itaque Christus est: qui etiamsi in carne apparuit, nihilominus tamen naturam & veritatem Deus ac Dominus est, ipse quoque seruilem in modum sese vndique circumstantes habens supremas virtutes. Si quis mentis sensibus haudquaquam captus est, intelligere potest hæc verba, ipse quoque, illud ostendere, non solum ipsum virtutes, à quibus ipsius laudes canantur, circum se habere, neque ad ipsum solum tersanctum hymnum referri. Nam cum dicit, ipse quoque, per hanc coniunctionem, quoque, illud liquidò demonstrat, quod Pater etiam & Spiritus eisdem habeant. Nam cum vox hæc, quoque, copulatiua coniunctio sit, additamentum*

C *& accessionem significat. Cum itaque constet Patrem virtutibus, à quibus ipsius gloria canatur, circuncingi, Christum quoque ipsum iisdem virtutibus canentibus circuncingi dixit. Quòd si Pater, Filius, & Spiritus sanctus, virtutibus, sanctus sanctus sanctus canentibus, circuncinguntur, profectò soli Filio tersanctus hymnus adhibendus non est, cum tres personas declaret. Nam si semel aut iterum aut quater sanctus cecinissent, cum tres personæ sint, ad vnamquamque etiam personam solam hymnum referri posse diceremus: quandoquidem communia de quibusque particularibus dicuntur. Verum quoniam consentaneo modo tersanctus hymnus tres personas indicat, parum conuenit, ut qui tres demonstrat, de vno duntaxat dicatur. Nam si de vno dicatur, tres personas haudquaquam*

D *indicat: si autem tres omninò indicat, non sanè de vno dicitur. Eiusdem rursum ex quarto ad Hermianum libro, cuius initium est, Deum igitur ex Deo, illud afferunt: Quòd si ille saltem Angelis equalis statuatur, qui tandem fit, ut quòd ille quidem paternis sedibus coarctetur & illustretur, simulque cum Patre sedeat, illi autem in orbem astant, seruitutis, quæ ei subsunt, gradum minimè aspernantes: atque hic quidem Dominus Sabaoth & sit & dicatur, illi autem dominationis laudibus eum ornent, cælumque & terram ipsius gloria plena esse dicant. Quocirca eum, qui ab his etiam, qui summam gloriæ sedem obtinent, tanta cum admiratione predicatur, factum esse dicere, frigidum sanè ac rancidam mentis morbus est. Quisnam autem inficias iuerit, Seraphinos Filio astare, aut eum cum Patre & Spiritu laudari, & cum Patre & Spiritu hymnum suscipere, & sanctum esse, & Dominum Sabaoth, & plenum esse cælum & terram gloria ipsius? At qui hæc dicit, non propterea tersanctum hymnum Filio ascribit.*

E *Perinde videlicet ac si quis duodecim diuinos Apostolos laudans, ipsos Spiritus sancti δωδεκαχορδοι, i. duodecim fidibus constantem citharam esse dicat, neminem quidem illorum honoris expertem relinquit (Nam vnusquisque illorum Spiritus chorda dictus est) non tamè propterea ad vnumquemque illorum huiusmodi laus refertur. Neque enim Petrus solus duodecachorda Spiritus cithara est, hoc est duodecim fidibus cõstans, nec item Andreas, verum vniuersus Apostolorum duodenarius numerus. Quòd si quis, Petrum fortasse laudans, hymnum hunc dicat: tamè huiusmodi hymnus non ipsum solum significabit, verum simul cum ipso vniuersum Apostolorum chorum celebrabit. Quòd si dixerit, Apostolorum duodecachorda cithara, is nimirum qui ex Bethsaida ortum duxit,*

patremque Ioannem habuit, ac Romæ sub Nerone martyrio functus est, mendacij crimine sese obstringet. Eodem modo si quis dicat, Sanctus, sanctus, sanctus, propter nos cruci affixus, impius esse comperietur: quemque ille qui dicit, ter sanctus pro nobis cruci affixus. Eiusdem rursus ex quinta cum Hermia disputatione, quæ ita incipit, Age ex omni nobis, illud proferunt: *Atqui Seraphini eximium & excelsum thronum in orbem circumstant, ipsum gloria afficientes, ac sanctum & dominum virtutum appellantes, cælumque ac terram ipsius gloria plena esse dicentes. Qui porrò rebus omnibus æquè dominatur, Patri quæ viribus ac robore par est (Plena siquidem eius gloria omnia sunt) quonam pacto eandem gloriam non habeat? Hæc quoque ex priorè sententia & explicatione pèdere verè dicimus. Ac rursus: Quòd si gloria expertus est, atque ab adoratione abest distatque plurimum, cur quæso, & unde edocti Seraphini Filium in diuinitatis throno sedentem circumstant, atque hymnis & laudibus efficiunt, dominumque Sabaoth appellant, plenumque etiam cælum ac terram ipsius gloria esse prædicant? Scimus etiam nos ista, & assentimur: verum hæc propterea non hanc legem nobis imponunt, vt Filium ter sanctum appellemus. Rursus beati Procli Constantinopolitani Archiepiscopi ex Oratione de sancta Dei genitrice, illud adducunt: *Cruci affigebatur: & thronus ipsius in cælis minime vacuus erat. Sepulchro includebatur: & cælum pellis instar extendebat. In mortuorum numero habebatur: & infernum spoliabat. Impositus deorsum insimulabatur: ac sursum sanctus sanctus sanctus prædicabatur.* Equidem ipse in vno & altero, atque adeò pluribus vetustis codicibus semel tantum à sanctissimo Proclo sanctus dici legi. Quòd si etiam ipsum, ter sanctus, dixisse concedamus, ad eundem modum hoc intelligendum est, quo ea quæ præcedunt, nempe quòd, vt vnus ex sancta Trinitate, simul cum Patre ac Spiritu celebretur, cum Seraphini clamant, Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth. Rursus eiusdem sancti Procli ex Encomio sanctæ Dei genitricis, cuius initium est, Omnia testimonia & læti coetus, illud proferunt: *Nihil igitur in mundo cum Dei genitrice Maria comparandum est. Res omnes conditas, homo, cogitatione peragra, ac perspicere an quicquam sit, quod sanctam Dei genitricem æquet aut superet. Terram undique lustra, mare circumspice, aërem inuestiga, homines animo perscrutare, virtutes omnes ab oculorum sensu remotas cogitatione complectere, ac vide an in omnibus rebus conditis sit vllum eiusmodi miraculum. Etenim cæli quidem enarrant gloriam Dei, Angeli cum metu inseruiunt, Archangeli cum tremore adorant, Cherubini gloriæ magnitudinem minime ferentes, cohortescunt, Seraphini circumuolantes propius accedere non audent, Verum cum tremore clamant, Sanctus sanctus sanctus, Dominus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria eius. Id etiam perspicuum est, hunc locum ex priorum sensu pendere. Verum audiant qui ista proferunt, & agnoscant. Ac sanè hoc mihi persuadeo, fore, vt agnoscant, atque eam animi lucem percipiant, vt certissimam de his rebus cognitionem consequantur, siquidem Spiritus Dei in ipsis habitat. Rursus ex Athanasij Oratione de Incarnatione & Trinitate, cuius initium est, Qui malignè, illud proferunt: *Et cum Seraphini glorificant, tertio dicentes, Sanctus sanctus sanctus, Dominus Sabaoth, Patrem & Filium & Spiritum sanctum gloria afficiunt.* Rursus ex Basilij libro de Spiritu sancto ad Amphilochium illud proferunt: *Quonam modo Seraphini dicent, Sanctus sanctus sanctus Dominus, nisi à Spiritu sancto, quoties huiusmodi laudem proferre pium esset, digni essent? Nimirum hic Pater longis verborum nugis nos liberauit, cum disertis verbis dixit, quoties huiusmodi laudem proferre pium esset. Neque enim pium est bis aut quater, verum ter & semel: ter scilicet sanctus, ob personarum trinitatem: semel autem Dominus, ob essentia atque imperij vnitatem. Etenim si ad Filium solum referendus est, cur non semel tantum sanctus & semel Dominus dixerunt? cur non bis aut quater? Non enim ternarius numerus vni personæ consecratus est, aut plusquam alij numeri aptus ac familiaris est. Eiusdem rursus ex quarto libro aduersus Eunomium, cuius initium est, Si naturâ Deus Filius, illud proferunt: *Quòd nec visio, nec oraculum, separatim Patris ac Filij & Spiritus sancti****

Psal. 103.

Psal. 18.

A sancti sit, testatur Esaias Propheta, cum ait, *Vidi Dominum Sabaoth sedentem super solium excelsum & eleuatum. Et Seraphini stabant in circuitu eius: sex ala vni, & sex ala alteri. Et paulò post inquit: Et dixit Dominus ad me, Vade, & dic populo huic, Auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non scietis. Incrassatum est enim cor populi eius.* Certè quantum ad prophetica littera situm & seriem attinet, Pater est qui Propheta apparuit, eique oraculum edidit. Ceterum tonitruifilius, qui eximia & tonitruo formidabiliora loquutus est, cuiusque proprium est, non, non erat, verum, erat Verbum, Filium esse dixit, qui Propheta apparuit, oraculumque ipsi edidit. Ait enim in suo volumine, Propterea non poterant Iudæi credere in Iesum, quia Esaias de ipsis dixit, Excæcati sunt oculi eorum, & induratum est cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, cum vidit gloriam ipsius. Paulus autem, Spiritus sancti visionem hanc atque oraculum esse pronunciauit, dicens: Bene Spiritus sanctus per Prophetam Esaiam ad patres vestros dixit, Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non scietis. Incrassatum est enim cor populi huius. Propheta Patris personam inducit, qui à Iudæis credebatur: Euangelista, Filij: Paulus, Spiritus sancti: vnum Dominum Sabaoth, qui sui videndi copiam fecerit, communiter appellantes. De persona autem sermo ipsis diuisus est, diuisionis experit in ipsis manente de vno Deo sententia. Diuisus est enim sine vlla diuisione de persona modus & oratio. Quapropter, sanctus sanctus sanctus, ter ob personarum trinitatem dicitur: Dominus autem semel, ob diuinitatis vnitatem. Quere etiam ex Theologo in Oratione de Christi natiuitate hunc locum, *Deum autem cum dico, Patrem Filium & Spiritum sanctum intelligo, vsque ad hæc verba, præstantissimè ac sublimissimè.* Rursus Cyrilli Alexandrini in libro de Spiritu sancto ad Hermiam, qui incipit, Bonorum laborum hoc ab illis profertur: *Quid autem? An non ipsos quoque Dei sermones Spiritus sancti esse Scriptura testatur? Etenim diuinus Esaias, eximiam illam & maxime horrendam Dei visionem nobis exponens, Vidi, inquit, Dominum Sabaoth, sedentem super solium excelsum & eleuatum, &c. Ac paulò post ait: Audiui Dominum Sabaoth dicentem, Quem mittam, & quis ibit ad populum hunc? Et dixi, Ecce ego, mitte me. Et dixit, Vade, & dic populo huic, Auribus audietis, & non intelligetis: videntes videbitis, & non scietis. At verò diuinus Ioannes de Vnigenito dixit: Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de ipso. Sapientissimus porrò Stephanus Iudæos alloquens, his verbis vsus est: Dura ceruice & incircuncisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis, quemadmodum & patres vestri. Annon iam quodammodo perspicuum illud est, ut quòd si particularis personæ diuersitatem spectemus, quiddam Pater, quiddam Filius, quiddam Spiritus sanctus esse intelligitur: si autem naturalis vnitatis coitionem, omnia omnium sunt, hoc est & præsentia, & sermones, & participatio, & operatio, & gloria, ceteraque omnia, quæ diuinam naturam condecorant? Quid igitur? An non is etiam, qui dogmatum fidei scientiã vel leuiter degustarit, perspicue noscet, tersanctum hymnum, quatum quidem ad personæ particularis diuersitatem attinet, vt etiam diuinus hic Pater dixit, Patrem Filium & Spiritum sanctum demonstrare: coitione autem ad vnitatem naturalem vnumque principatum, per Domini vocabulum ostendi? Ternarius quippè numerus tria significat: vnitatis autem vnum. Quapropter, sanctus sanctus sanctus, & tersanctus, quia tres personæ: Dominus autem, quia tres personæ vnus Deus sunt. Vnus porrò Deus tres personæ, quia vna est diuinitas, atque ad vnum, ea quæ ex ipso sunt, referuntur: quippè cum personæ à se inuicem non discedant, nec rursus componantur, aut permisceantur. Ex Gregorij autem Nysseni, primo aduersus Eunomium libro illud adducunt: Eodem autem modo Seraphini illi, de quibus loquitur Esaias, à quibus, Trinitatis mysterium apertè prædicatum est, quando vniuscuiusque personæ Trinitatis pulchritudinem ad stuporem vsque mirantes, sanctam illam vocem exclamarunt. En quo pacto diuinus Pater per sanctum hymnum Trinitatis mysterium apertè prædica-*

Mar. 3.

Ioan. 12.
Esa. 6.

Act. 13.

Dialog. 7.
ad Hermiam.

Esa. 6.

Ioan. 12.
Act. 7.

tum esse dixit, nempe per id quod ter, *sanctus*, clamarunt, personarum trinitatem, per id autem quod semel, *Dominus*, clamarunt, naturæ ac dominationis unitatem. Quin sanctus quoque, atque admirandus Epiphanius in eo libro qui Anchiatus inscribitur, ad hunc modum loquitur: *Per triplex autem testimonium spirituum sanctum accipiunt, ac perspicuis Seraphinorum & Cherubinorum vocibus impletur, ter clamantium, sanctus sanctus sanctus. Per duas enim voces glorificatio in celo minime perficitur, neque sancta & inuisibilia & spiritualia animalia rem eandem quater adinunt: neque item quartam vocem aut unam solam edunt, verum tres singulares voces, sanctus sanctus sanctus. Nec dicunt, sancti, sancti, sancti, ne id quod unum & singulare est, in multa nomina cõuertant: nec rursus ternarium trium numerum occultant. Verum ter quidem sanctitatem tribuunt, vno autem ac singulari modo sermonem enunciant, ne Deorum multitudinem nuncupent.* Negotio nos hic diuinarum rerum interpres Pater liberauit, cum nec per duas voces, nec per vnâ aut quatuor, sed per tres, atque ipsas singulares, glorificationem in celo minime perfici manifestè pronunciauit. Quorsum autem hoc? Quoniam scilicet hic hymnus, non vnâ personam, sed tres indicat. Quemadmodum igitur non per duas aut quatuor voces, verum per tres, ob personarum trinitatem hymnus perficitur: ad eundem modum cum ter sanctus hymnus tres personas demonstrat, de vna duntaxat persona dici minime potest. Quamobrem, vt superius dixi, certus ac definitus numerus de Deo dici non potest, nisi singularis ac ternarius, propter naturæ unitatem, ac personarum trinitatem. Ac singularis quidem numerus de tribus personis dicitur, Deus & Deus & Deus: verum vnus Deus, nõ tres Dij, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ne alioqui principatus & imperij unitas deorum multitudo esse censeatur, atque vnus ac diuisionis expertus Deus à virtutibus suis per se subsistentibus dirimatur. Deus enim etiam est ipse Verbum, & Spiritus item sanctus, ac tria & vnus Deus, etiam si vnum quodque propter diuinitatis excellentiâ persona perfecta sit. At verò ternarius numerus ad vnâ personam minime pertinet. non enim qualibet persona ter per se subsistit, vt per ternarium numerum vnâquamque personam ter per se consistere demonstratur. Absit absit, piæ mentis hæc non sunt, verum à consentaneo sensu aliena. Hæc, diuinissime Pater, columna & firmamentum veritatis, vt coram omnibus Patribus & Fratribus atque vniuerso Ecclesiæ coetu recitetur, obsecramus, verbisque lenibus ac placidis rogetur illustris Pater noster ac Dominus Abbas Anastasius, pij monasterij diuini Patris nostri Euthymij Antistes, vt eiusmodi contentioni finem imponat, ac nobiscum diuino afflatu correptorum Patrû vestigiis hærens, sanctus Deus ac Pater dicat, sanctus fortis Filius Dei incarnatus, & carne, nostræ salutis causa, cruci affixus, sanctus immortalis Spiritus sanctus, vnus Dominus Sabaoth, miserere nobis. Neque nos accuset, nec per beatum Patriarcham Ioannem, vt qui certum ac persuasum habeamus, de vna duntaxat diuina persona ter sanctum hymnum dicendum esse. Nam quisquis hoc sentit aut profitetur, sordidæ Cnaphei stultitiæ socium se præbet. Quisnam enim Ioannis Patriarchæ mentem melius me nouit? Nemo profecto: quippe qui, vt verè loquar, nullam vnquam spiritualem doctrinam efflauit, quam mihi, vt discipulo, non communicarit. Quid autem est, quamobrem viuente ac loquente sacrosancto viro hæc minime de ipso dicta sunt? Nihil sanè hæc aliud sunt, quam prætextus quædam atque obtentus, nihil firmi habentes. Desinant homini, diuino zelo prædito, qui que rectæ doctrinæ ignem spirauit, obtrẽctare, clarissimo in quâ Ioanni, qui omnem vocum inanitatẽ exterminauit ac de medio sustulit, vt qui Theologiam cum sanctis Patribus semper cõmunem habuerit. Quin potius ipse zelum complectantur, atque, vt sacrum & luculenti nominis virum, laudibus eum afficiant. Deus pacis, pater Christi Domini nostri (ipse enim pax nostra est) impleat corda nostra Spiritu sancto, vt probemus quæ sunt potiora: atque improbam omnem cõtentionem à nobis submoueat, sanctam suam Ecclesiã pacificans, quam ipsi charus filius eius Iesus summus Deus pretioso suo cruore acquisiuit. Ora pro nobis

1. Tim. 3.

Ephes. 2.
Philip. 4.
Philip. 1.

A nobis à Deo, honorate Pater, utpote diuino Spiritu instinctus. Ad ea autem que diximus, hæc quoque adiungenda sunt. In sacra diuinorum mysteriorum oblatione, posteaquam populus ter sanctum hymnum cecinit, Sacerdos, velut hymnum interpretans, his verbis vitur: Sanctus es rex seculorum, atque omnis sanctitatis Dominus & dominator: sanctus etiam vnigenitus Filius tuus, per quem omnia fecisti: sanctus item Spiritus tuus sanctissimus, qui scrutatur omnia, etiam profunda tua, hoc est Dei. Quare non dicitur sanctus sanctus sanctus vnigenitus Filius tuus, sed communiter Trinitati, sanctus sanctus sanctus, ad singulas autem personas semel sanctus? Atque etiam, cum Eucharistiæ panis in altum extollitur, non dicimus ter sanctus, aut ter Dominus, sed, vnus sanctus, vnus Dominus Iesus Christus ad gloriam Dei Patris, cum sancto Spiritu, cui gloria in secula seculorum. Quoniam autem ter sanctum hymnū in iis precibus, quas de more adhibemus, ter dicimus, operapretium est de hoc quoque disserere, atque exponere, cur non semel Patri, & semel Filio, & semel Spiritui sancto, ter sanctum hymnum tribuamus, verū communiter sanctæ Trinitati hymnum offeramus. Etenim Seraphini Deo semper astantes ter sanctam laudem sine vlla intermissione offerunt: nos autem, quia certis ac præscriptis horis certum hymnum ad Deum transmittimus, aptè ac congruenter ter sanctum hymnum Trinitati sanctæ ter tribuimus. Atque etiam in omnibus rebus ob eam causam ter sanctum numerum reliquis anteponimus, quia sanctam Trinitatem declarat: & quia ab ipsa perfectionem ac plenitudinem accepit. Vnitas enim quantitatis expers est: binarius autem numeri principium est: ternarius verò perfectus numerus est. Verū non propter numerum Trinitati diuinitas inest: sed quia diuinitas in Trinitate est, idcirco ternarius numerus perfectus est. Vnitas enim ab initio ad binariū progressa, in ternario constitit. Principium enim & causa eorum, quæ sunt, est Deus. Quare ex principio & causa earum rerum, quæ sunt, hanc vim numerus accepit, nempe quod quemadmodum Pater Filij genitor, ac Spiritus productor est, eodem modo etiam numerus ad binarium progrediens, atque vsque ad ternarium perueniens, in eo consistit. Ac propterea singularis numerus est, qui vnū significat: dualis, qui duos significat: pluralis denique, qui tres designat, neque vlla alia nota est. *ἄθροιστος* enim dicimus de vno homine: *τὸ ἄθροιστος*, de duobus: *οἱ ἄθροιστοι*, de pluribus. Atque in Deo vna hypostasis Patris est, duæ hypostases Patris & Filij, tres hypostases Patris Filij & Spiritus sancti, quandoquidem ratione hypostasis differunt Pater, Filius & Spiritus sanctus. Eodem modo etiam tres hypostaticæ proprietates. At in his, in quibus inter hypostasim & hypostasim nihil est discriminis, hoc est in iis, quæ naturam attingunt, in Deo plurali numero vti nō licet: verū in vnaquaque hypostasi singulari modo, ea quæ ad naturam pertinent, commemorare oportet: atque singulari modo copulando, rursum communiter in tribus hypostasibus ea dicere, quæ naturam attingunt, & Deus & Deus & Deus, verū vnus Deus, non autem tres Dij: quoniam Deus atque ipsius virtutes per se subsistentes vnus Deus est. Etenim quia vnumquodque propriam hypostasim habet, perfectus Deus per se dicitur: quoniam autem simul numerantur, idcirco non tres Dij, sed vnus Deus: propterea quod Verbum & Spiritus Patris virtutes sunt. Pater pater est, ac non filius: non enim ex quoquam est. Filius filius est (ex patre enim) ac non pater: vt vnus tantummodò sit pater. Spiritus sanctus, spiritus sanctus est (ex patre siquidem) per Filium & Verbum progressus, non tamen filiationis modo. Nam si Filius Patris filius est, ac Spiritus item Filius, alios quoque filios habebit, idque in infinitum. Rursum si Spiritus Filij filius est, habebit ipse quoque filium alterum, idque in infinitum, eruntque dij multi & domini multi, ac deorum ingens caterua, non autem vnus Deus. At nobis vnus Deus est Pater & Verbum ipsius & Spiritus ipsius. Verbum porrò quiddam genitum est per se subsistens, ac proinde Filius. Spiritus item per se subsistens est processio atque emanatio, ex Patre quidem, Filij autem ac non ex

1. Cor. 2.

Nax.

1. Cor. 2.

Filio, utpotè spiritus oris Dei, Verbum enuncians. Sanè autem os quoque membrum corporeum non est: nec spiritus flatus qui dissoluatur ac diffundatur. Verùm hæc aliam commentationem desiderant. Nun autem explicato pro nostra virili proposito argumento, dicendi finem faciamus. Atque illud exploratum habeo, vos quoque, utpotè diuino Spiritu plenos, pro amicitia lege, ea quæ defunt, impleturos, nec pro nobis precandi finem facturos.

SCHOLIA IN PRÆCEDENTEM EPIST.

1. quàm rectè tractes) Vulgatam interpretationem sequor, quæ ὀρθοτομεῖν ita exponit. Ad verbum est, rectè secare. 2. cum te expetimus) Hæc, verbis duntaxat immutatis ex Orationis illius initio sumpta sunt, quam Gregorius Theologus de Athanasij laudibus scripsit. 3. quam Cnapheus) Petrus cognomento Cnapheus (hoc enim ipsius cognomen fuisse scribit Niceph. lib. 15. cap. 28. ne quis eum ab arte fullonica ita appellatum fuisse putet) Chalcedonenſis Concilij teterrimus hostis, huic hymno, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis, hæc verba adiecit, Qui crucifixus es pro nobis. Hic autem error in quinta Synodo sub Iustinianno damnatus est. Vide lib. 3. cap. 10. de Orthod. fide, & Niceph. lib. 14. cap. 46. 4. ne plus quàm par sit) Alludit ad illud Sapientis Eccl. 7. Ne plus sapias quàm necesse est. 5. Filium solum) Hoc loco corruptè legitur in Græco ἰησοῦν. Legendum enim est ἕδον, ut patet tum ex iis quæ præcedunt, tum ex eo quod mox sequitur, καὶ εἰς τὸν ἕδον μόνον. 6. fortem) Hoc loco mihi à vulgata lectione discedere necesse fuit. Neque enim alioqui, si fontem posuissem, hic locus Dauidis ad id, quod sibi proponit Damascenus, accommodari potuisset. 7. tingere) Gr. καθαρεύσαι, i. fullonica exercere. Alludit autem ad impij viri Petri Cnaphei cognomen tum. 8. crucifixionem adiungamus) Vide schol. 3. suprâ. 9. tempore beatissimi Procli.) Videt. 3. de Orthod. fide cap. 10. 9. ex sexto libro) Intelligit sextum librum Dialogorum cum Hermia. 10. Quòd si ille saltem angelis) In Græco hic aliquid desideratur, ut sensus integer sit. Apud Cyrillum paulò antè ita habetur: Et quid inde? Excidit ille dilectus & Patri confidens, ab omni eo postea quod diuina gloria ipsum retinet, imò & vix æqualis erit angelis. Quæ quidem postrema verba non admodum accedunt ad hæc Græca, καὶ ἔτι ἐν ἰσότητι θέτος τοῖς ἀγγέλοις. Sensus tamen apertus est. Sic enim argumentatur Cyrillus: Si Christum ita deiicis, ut eum vix etiam angelis parem faciatis, qui tandem sit, ut ille in paterno throno sedeat, atque angeli eum gloria afficiant, ac serui-li, quod ad eum attinet, gradu acquiescant? 11. quòd si particularis personæ) Locus hic apud Cyrillum obscure sanè atque incommodè ab interprete redditus est.